



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Bruno Ep. C. 11. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

S. BRUNO EP. C. 11. Octobris.

Fuit hic Bruno Henrici Aucupis German. Regis fil. Othonis I. Imp. frater. Scientias divinas juxtâ & humanas calluit, sed eloquentiam inprimis, quam pro miseris potissimum exeruit, ut quorum semper bona causa est. Temporis avarus nullum nisi literarum otium amavit, ut quocumque demum cum Imper. Fr. iret; famuli libri sequerentur, suavissimè iter inter comites Musas facientem. Comitatus uti ipse singulari erat, ita morum levitatem in aliis summè oderat. Quare cum Henricum Fr. & affinem Cunonem sub divinis confabulantes vidisset, palàm edixit, intemptivam illam familiaritatem seminarium fore maximarum inimicitiarum; id quod postea orbis vidit. O Censorem debitum nostro ævo, quo templa passim aut fora fieri aut curias videmus, & ex his exire sæpè, qui plurima hominibus, nihil DEO, nihil Divis sunt locuti! Sed mitto linguaces. Silentium potius in BRVNONE laudo & frugalitatem, quam Archiepiscopus jam Coloniensis (uti & in vestibus modestiam) in Canonorum Collegium postliminidè reduxit, utinam non iterum nunc ubique ferè terrarum exulem! Ipse post maxima obita munia, post extracta aut reparata templa & cœnobìa plurimã, ut pacis amans, & pacis conciliandæ inter viros principes mirus artifex, excessit è vitâ, anno post DEVM hominem D. CCCC. LXV. cælum moriens multis lacrimis mollivit, & crebro gemitu, velut ariete, perripit. *Ex Lippeloo.*

Esto Angelus, hoc est, divini minister imperii: obsequere mandatis Domini: cum fueris Angelus, videbis

lis faciem Domini. Ipse Dominus JESVS ait, Beati mundo corde: ipsi enim Deum videbunt. Adver- tis, quid à te exigatur ut videas Deum? Emunda igitur cor tuum. S. Ambr. in Ps. 118.

B. JACOBUS ALEMANNUS CONF.

II. Octobris.

FELIX, (si quidem norit hodie bona sua) Ulma Suevorum JACOBVM nostrum peperit, & præbè educatum Romam ad DD. Apostolorum limina supplicem misit. Româ Neapolim hic abiit, & ab Alphonso rege militiæ adscriptus, nullum hostem quàm prædam fugit. Quare illa demum castra placuere, quæ non aliena raperent, sed suis se spoliarent: id quod ipse etiam fecit, cum Bononiæ ad D. Dominici signa transiit. Hic ille boni militis partes omnes implere, primus semper ad ducis nutum, portarum animi, oculorum inquam, vigilantissimus custos, & flammæ hostiles casto animo injectas suffocare illicò doctus, sanguinis recordatione à Christo fusi. Jam arma (preces) numquam posuit, primo mane omnes Divorum aras veluti stationes militares obiens & semper à castrorum acie Virgine auspiciam sumens. Quid jam mirum, si miles noster dæmones fustibus pugnantes risit, præsertim quando cum pugnante, Angeli visi pugnare? si Cyclopem infernum sibi infestum cruce prostravit, & eadem corvorum Stygiorum agmen fugavit? Quid? quòd & insidias structas Reipublicæ ab orco detexit. Ad D. enim Antonii tumulum cum lætantes dæmones spectasset, & triumphum adornantes ob futuram alterò die inter cives cædem, medius preces suas interposuit, & civibus pacem, orco pro triumpho luctum peperit.

Fuit